

guntinus & Philippus Coloniensis, Archiepiscopi; quos ordine consecuti sunt Trevirensis, Magdenburgensis, Petaviensis, Wormatiensis, ceterique antistites. Moguntinus & Coloniensis, quod consecrati essent a Catholicis Episcopis, permitti suo muneri: ceteri, qui vel a Pseudopontificibus, vel a Schismaticis consecrati fuerant, jussi sunt abstinerere; Pallijs interim novis, veteribusque donati ab Alexandro Moguntinus & Coloniensis. Ad hunc modum schisma, quod per xviii annos fœde lacerarat Ecclesiam, incredibili totius Germaniae & Europæ latititia, sublatum est. Cæsar Venetijs reversus, Natalem Domini transigit Papiæ in regia Longobardorum urbe.

Turbæ in  
Saxonia.

*Arnoldus*

*Lubec. lib.*

*2.6.17.*

*Otto de S.*

*Blaſio.*

Verum extincto bello publico Ecclesiæ incruduit hoc anno bellum civile in utraque Saxonia. In Orientali belli initium fecit Ulricus Halberstadiensis Episcopus; is cum Henrici Leonis studio superioribus annis ab Episcopatu depulsus esset, obtruso Gerone schismatico Episcopo; ut cognovit se ex pacis decreto, & Apostolica auctoritate restitutum esse, hortatore Wigmanno Magdenburgensi Archiepiscopo, arma corripit. Junxere scilicet illi plerique Orientales Principes, Leoni jamantè offensi, quorum viribus adjutus, Geronem è Sede & urbe ejecit; omnibusque, qui a Gerone schismatico Episcopo consecrati erant, sacris muneribus interdixit; castrum præterea Horneburg præmunire coepit. Quo cognito Leo post extortam ditionem ex Sclavia ad volat; bella, inquiens ad suos, video, bella mihi parantur; & per celeritatem munitionis opus revellit. Id cum Ulric⁹ reficeret, reddit cum exercitu; sed ab Episcopo & Principibus cum ingenti suorum clade in fugam compulsus est; amissio etiam Henrico Holsatiæ tute, militum fortissimo.

Et in  
Westfa-  
lia.

Westfalia per haec in duas factiones scissa. Harum altera Duce Friderico Altenano, & Hermanno Comite Ravensbergico, pro Coloniensi Archiepiscopo, in Italia adhuc haerente, arma induerat: altera sub auspicijs Bernardi Comitis de Lippia, & Adolphi Comitis Schauenburgici, pro Henrico Leone conspiraverat adversus Coloniensis factiōnem. Hermannus Monasteriensis Episcopus, ex Italia reversus, reperit dioecesin suam spolijs & incursionibus vastatam. Quare & ipse cum Simone Teclenburgensi Comite, ex Italia reduce, se armavit; utri verò parti accesserint, Gobelinus, qui haec narrat, siluit. Satis tamen constat eum Coloniensi ac Metropolitano suo haesisse. Interim Bernardus de Lippia montem haud procul Bilfeldia, quem à Leonis signo turri imposito Lewenburgum dixerat, præmunit, ex eoq; castro totam Westfaliā infestat. Monasteriensis Ahusium & Diepenam castra subvertit; forte quod in his arcib⁹ reperiret nobiles è factione Leonis.

Evergillus per haec Episcopus noster, extra omnes belli & conspirationis fluctus se domi continebat in quiete, & sacrorum procuratione. Senio præterea se ad extrema vitae urgerisensit; quare multo salubriori